

336 Sop. Sed bene dispensat super matrimonio rato non consummato, ut notatur in cap. Ex publico, infra eodem, & dicam infra num. 8.

Ex facto quæsitum est, an concedenda sit dispensatio. ut matrimonium ratum non consummatum dissolvatur per vota simplicia à viro emittenda in Religione Societatis Jesu.

Carolus Anton. Bononiensis die 13. Octob. anni 1621. contraxit matrimonium per verba de præfenti cum Ursula, & infra bimestre ante consummatum matrimonium recipit se in religionem Societatis Jesu. in qua animo suscipiendi habitum regularem in habitu seculari permansit de licentia Sanctissimi D. N. tunc Archiepiscopi Bononiensis, qui semel atque iterum bimestre tempus ad ingrediendum religionem, de quo in cap. Ex publico, infra eod. ad totum hunc mensem Aprilis prorogavit, cum tempus hujusmodi sit arbitrarium iudici, secundum gloss. ibi in verb. infra duorum. Sed quia ex Constitutione Gregorij XIII. Ascendente Domino; tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientia, quæ post biennium in prædicta religione emittuntur, licet substantialia sint, non tamen sunt solemnia, sed simplicia, per quæ non dirimitur matrimonium ratum, sicut dirimitur per solemnem professionem, ut hic, & in concordantibus supracitatis in primo not. ab. & in puncto tenent quatuor auctores ex ipsa Societate, videlicet Valquez in 1. 2. q. 96. art. 4. dispur. 165. cap. 10. Henricus in Summis lib. 11. cap. 8. num. 7. Sanchez de matrim. lib. 2. dispur. 8. num. 6. & super Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 29. & Ribaleira in lib. de Societat. institut. cap. 19. §. Et primus est. Propterea Orator supplicat, ut Sanctitas Sua ex gratia dignetur ejusmodi matrimonium dirimere, postquam expletis annis probationis, in dicta religione vota simplicia emisserit; præsertim quia oblietrix deputata à Sanctissimo, facta inspectione coram matrona reculit, Ursulam esse nimis arctam, & virum de propria impotentia plurimum habitare.

8 Et dubitandum non sit quominus Summus Pontifex dispensare possit super matrimonio rato non consummato, juxta communem Canonistarum sententiam in cap. Ex publico, infra eod. & re ipsa Pontifices sæpe dispensaverint, ut referunt Navar. in Manual. cap. 22. n. 21. & Cajetan. in opusculo tom. 1. tract. 28. de matrim. quest. unic. & aliquando etiam ex sententia sacre Congregationis Concilij; tamen illud etiam absolutum est, hujusmodi dispensationem absque justa, & gravi causa non esse concedendam; unde, ut refert Petr. de Sampson in d. c. Ex publico, cum quidam Princeps petisset ab Innocentio III. ut dissolveret matrimonium non consummatum, & Pontifex respondisset, se non posse; postea Principe allegante auctoritatem glossæ Vincentij in d. c. Ex publico, Innocentius respondit; Male dictus qui te docuit; & quamvis Petrus non explicet cur maledixerit docenti; tamen Abb. ibidem sub num. 2. 4. asserit id fortè factum fuisse, quia sine maxima causa non debet Papa hoc facere, & in cap. Ex parte, si secundo, infra eodem, idem Abb. num. 5. ait Papam non posse matrimonium ratum dissolvere, nisi ex causa in jure expressa, vel omnino simili. Cæterum causa ingressus in religionem Societatis Jesu est voluntaria, nec gravis, seu maxima appellari potest. Item non est expressa in jure, nec omnino

similis, cum longè aliud sit voto simplicia emittens, ut notatur in cap. unico, de voto, lib. 6. & Orator potest aliam eligere ex religionibus approbatis, Præsertim verò quia jura à religionem ingredi volente jubent recipi sufficientem cautionem, quod vel religionem profiteri, vel ad conjugium recurre debeat infra spatium duorum mensium, juxta practicam d. c. Ex publico, ut prædenter hoc casu fuit observatum. Hoc autem duorum mensium spatium, quod hodie extenditur ad annum propter decretum Tridentini Concilij cap. 15. sess. 25. de Regul. præfixum est à sacris Canonibus, ne fiat injuria remanenti in seculo, ne tandiu necesse habeat expectare, & à copula abstinere, ut ait Jo. de Anan. in eodem cap. Ex publico, num. 6. Quod cum ita sit, justum non videtur ut concedatur dispensatio oratori ad ingrediendam religionem Societatis Jesu, in qua vota simplicia non nisi post biennium emitti solent; neque enim justum est, vel tutum uxorem tandiu invitam continere, & in periculum incontinentiæ adduci. Propterea enim de jure communi Episcopus non debet ingrediendi religionem dare tempus probationis, nisi maritus consentiret, ut notat ibi gloss. in verb. infra duorum, Innoc. prope fin. & Jo. Andr. in gloss. Nunquid, vel. 1. ubi ait Principem tempus probationis restringere ex causa, quia carnis stimulis non potest conjux resistere.

12 Ad hæc Thomas Sanchez de Societate Jesu de matrimonio dispur. 16. lib. 2. num. 8. censet non esse justam causam dispensandi super matrimonio rato non consummato, ut vir transeat ad Episcopatum, nisi valde necessarium esset ad bonum commune illum in Episcopatu promovere; & tamen votum solemnizatur per sacri Ordinis susceptionem, sicut per professionem regularem, d. c. unico, de voto, lib. 6. ergo longè minus licet dispensare, ut matrimonium dissolvatur per transitum ad religionem, in qua finito probationis biennio vota non solemnizantur.

13 Porro si mulier, aut vir habuissent impedimentum perpetuum frigiditatis, matrimonium ab initio fuisse nullum, cap. Externitate, de frigid. & malefic. Sed si tale impedimentum post matrimonium, & ante copulam supervenisset; forte justa esset causa concedendi dispensationem super matrimonio rato, secundum Aleiat. resp. 21. num. 7. & 8. quem refert & sequitur Menoch. de presumpt. lib. 2. presump. 10. num. 44. Sed sterilitas, seu impotentia, cujus meminit Orator in supplici libello, esset prius concludenter probanda ad sacrorum Canonum præscriptum.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Cum sis.

S V M M A R I V M.

1 **M**aritus ad Religionem transire non potest nisi & uxor transeat, vel nudi suspensa castitate promittat. 2 Ignorantia viri non est probabili in intru-perito. 3 Professio unius coniugii non valet nisi uterque proficiatur, aut remanens in seculo castitatem voveat, & careat periculo incontinentiæ.

Coniux

- 4 Coniux non adulter potest religionem profiteri, licet remanens in seculo sit juvenis, & castitatem non promittat. 5 Matrimonium consummatum per adulterium, vel professionem alterius coniugii non solvitur quoad vinculum. 6 Mors civilis an, & quando equiparetur naturali. 7 Vxor in qua etate dicatur senex ad hoc ut cum simplici castitate voto possit in seculo remanere, & maritus ad religionem transire, usque in fin. 8 Vxor ut possit in seculo remanere viro ad religionem migrante debet esse ita senex ut non sit suspecta de incontinentia. 9 Libidinis labe que in juventute contrahitur in senectute frequenter expiatur, sed non semper. 10 Incontinentia periculum oritur ex hoc solo quod coniux sit juvenis. 11 Senectus quid sit. 12 Senectus mirum aliter constituendum est quoad universam hominum speciem, & aucter quoad singulos homines, de quorum senectute agitur. 13 Senectus in universum quando incipiat, varia referuntur sententia. 14 Aetates hominum quot sint, & qualiter distinguantur. 15 Aetas virilitatis, & senectus non determinatur à iure generaliter quoad omnes, atas augmenti seculi, & cur. 16 Senilis etas pro materia diversitate vario modo à iure præscribitur. 17 Senectus quo sit singulares homines an, & quomodo probetur ex aspectu corporis. 18 Canities quale indicium sit senectutis. 19 Puer septem annorum capite admodum cano apud Catholicam Palæotum. 20 Senis centum annorum mirabile exemplum à Hieronymo recensetur. 21 Senes qui dicuntur, arbitrio iudicis relinquuntur in castibus, in quibus nulla etas præfinita est. Senior quandoque est aliqui in quinquagesimo anno, quam alii in sexagesimo, ibid. 22 Arbitrium in senectute dydicanda qualiter sit regulandum. 23 Senex ante quinquagesimum annum ut quis dicatur non reperitur iure cautum. 24 Septuagenarij indistinctè dicuntur senes, nec quoad eos est locus arbitrio iudicis. 25 Senes octuagenarij non excusantur à personaliter comparando si sint robusti. 26 Aetates hominum secundum subiectam materiam diversimodè limitantur, & terminantur. 27 Vxor in qua etate indicanda sit senex, ut possit in seculo remanere cum voto simplici castitatis, iura non præscripserunt. 28 Dicitur senex, & non suspecta si sit sexagenaria iuxta opinionem Soti. Contrarium, num. 45. usque ad num. 82. & præsertim, num. 65. 29 Juvenis dicitur quis ante sexagesimum annum quoad hoc ut possit cum eo super incestu dispensari, & n. 73. vers. Et ex his patet. 30 Albatissa in qua etat. sit eligenda, & num. 74. 31 Vidua an possit eligi in Abbatisam, & num. 76. 32 Senes sexagenarij an excusentur à ieiunio, & num. 78. & seq. 33 Senilis corporis status ex levi momento in morbum deciluit. 34 Senes sexagenarij non includuntur in exceptione Bullæ Cruciatæ ab indulto vescentis lacticijs, & n. 95.

- 35 Vita in calore sita est. 36 Mulieres sunt viri frigidiores. 37 Vxor quinquagenaria potest in seculo remanere cum voto simplici castitatis secundum opinionem Sanchez. Contrarium, num. 82. 38 Lex Julia Poppæa prohibens viri post sexagesimum annum, & mulieribus post quinquagesimum nuptias contrahere à quibus, & cur fuerit abrogata, & n. 65. vers. Et hæc fuit ratio. 39 Matrimonium post pubertatem in quacunque etate contrahi potest. 40 Potenti generandi in masculis, & feminis in quam usque etatem protrahatur, & num. 65. 41 Mulier non dicitur studere procreationi liberorum à quinquaginta annis supra. 42 Liberta quinquagenaria non tenetur ad operas. 43 Testes an dicantur senes in quinquagesimo anno quoad hoc ut ex animari possint ad æternam rei memoriam, & num. 88. 44 Mulieres quinquagenaria etiam robuste non tenentur ad ieiunia ecclesiæ. Contrarium, num. 89. 45 Senectus, & sterilitas copulative requiruntur ad hoc ne uxor possit remanere in seculo cum voto simplici castitatis. 46 Sterilitas ratione nature non asfert incontinentia suspicionem, & num. seqq. 47 Mulieres natura steriles sunt præ cæteris libidinose. 48 Mulieres natura productæ ad generandum, & infixit eis concupiscentiam, & desiderium matrimonij. 49 Pudor est mulieribus nuptiarum premia non habere. 50 Mulieres in qua etate incipiunt esse steriles. 51 Cornelia è Scipionum familia post sexagesimum secundum annum Volulium Saturnum peperit. 52 Mulierum exempla, quæ post quinquagesimum annum conceperunt, & num. seqq. 53 Partus quinquagenaria mirabilis est quis rarus, sed non miraculosus, num. seq. & num. 63. & 64. 54 Federici Imperatoris mater quinquagenaria publice voluit parere, & cur. 55 Sterilis à natura, & maior quinquagenaria equiparantur. 56 Iura constituuntur ex ijs que frequentius accidunt. Declaratur, num. 60. & seqq. 57 Argumentum à communiter accidentibus valet. 58 Lex de miraculosis non fertur. Declaratur, num. 64. 59 Vivere præsumitur qui non probatur mortuus, nisi post annum centesimum. 60 Intellectus l. Jura, cum tribus seqq. ff. de legibus, & num. seqq. 61 Legislatores non contemnunt ea, que præter naturam contingunt, licet raro. Elij tergemini in utero esse à iure præsumuntur, ibidem. 62 Filius natus octavo mense an succedat, & hereditatem transmittat. 63 Leges non aptantur ad ea que semel tantum, aut bis possunt contingere, vers. Respondet secundo. 64 Miraculum propriè quid sit & qua requirantur de ratione miraculi. 65 Viri iuri præsumptione usque ad sexagesimum annum possunt progenerare, ideoque ante eam etatem non

cautem

- atatem non exant suspicione incontinentia.
- 66 Nisi contrarium appareat, in quo iudicij arbitrium versabitur.
- 67 Virorum exempla, qui post octuagesimum annum liberos procreantur.
- 68 Maior annis septuaginta an possit masculos procreare.
- 69 Filius an potius presumatur natus ex parte septuagenario, quam ex adulterio.
- 70 Sterilitas mulierum precurrit iurij presumptione sterilitatem virorum annis decem, & secundum Philosophos annu viginti.
- 71 Aetas congrua nubendi qua sit ex sententia Aristotelis.
- 72 Elisabeth conceptio miraculosa.
- 73 Christi conceptio ex Spiritu Sancto fuit miraculum mirabiliorum.
- 74 Intellectus, cap. Juvenculus. 20. q. 1.
- 75 Senes viridi gubernationi sunt aptissimi.
- 76 Intellectus, cap. Quomodo. 31. q. 1.
- Mulieres sexagenariae. Apostolorum tempore eligebantur propter predicacionis officium, ut eis pannis lavarent, & inservirent, ibidem.
- 77 Corrupta indecorum est ut prestet virginibus.
- 78 Senes in qua aetate a ieiunio excusentur, non est a iure determinatum.
- 79 Senectus sola non excusat a ieiunio ecclesie, nisi adhibeatur aliqua senis infirmitas.
- 80 Opinio Caietani, & Navarri circa ieiunium senum expenditur.
- 81 Minores tertio septennio non tenentur ieiunia ecclesie observare.
- 82 Senectutu initium, ut minimum constituitur in quinquagesimo anno.
- 83 Senectus sola non sufficit, ut ab sit incontinentie periculum, sed desideratur aliquis senectutis progressus.
- 84 Presumitur quis continentiam servaturus ratione aetate, etiam si tempore inventus castitatem non servaverit.
- 85 Maior quinquagenaria, que concepta in quinquagesimo anno non vacat a periculo incontinentia.
- 86 Senectus & sterilitas non sufficiunt ad hoc ut uxor remanere possit in saeculo, si aliunde appareat de illius intemperantia.
- 87 Uxor de cuius licentia maritus professionem emisit si sit suspecta de incontinentia, & castitatem promiserit an sit cogenda ingredi monasterium, ut custodiatur a vagatione, an vero ut solemniter proficiatur.
- 88 Testes in domino Mediolanensis dicuntur senes in sexagesimo anno, quoad examen ad aeternam rei memoriam.
- 89 Opinio Sanchez, que excusat mulieres quinquagenarias a ieiunio ecclesie refellitur.
- 90 Opinio si shecularitudo sit vere probabilis, est etiam tuta a practica.
- 91 Senes diu ieiunium terre non possunt, sed egent cibo crebro, & modico ex sententia Hippocrati.
- Procedit in decrepiti, & senio confectis tantum, ibidem.
- 92 Mars in extrema senectute sine dolore.
- 93 Senes non decrepiti sic illum ieiunium servant.
- 94 Senes septuagenarios, non sexagenarios excusant a ieiunio Ecclesie communis opinio.
- 95 Aetas que in viri est sexagenaria incongrue dicitur quinquagenaria in mulieribus quoad effectum ieiunij.

- 96 Mulieres facillius ieiunium tolerant quam viri, & cur.
- 97 Mulierum exempla, qua sine ullo cibo diu vixerint.
- 98 Ieiunantes sine corpora detrimento, immo & cum utilitate utuntur modica refectione loco carne.
- 99 Uxor ante quinquagesimum annum licentia remanendi in saeculo non est concedenda; post annum vero quinquagesimum concedi potest arbitrio Episcopi, & quomodo eius arbitrium regulari debeat.

**C**UM SIS. Uxoratus ad religionem transire non potest, nisi & uxor transcat, vel nisi de incontinentia non sit suspecta, & castitatem promittat. Hoc dicitur. Primò ponitur ratio. Secundo decisio, ibi, *Inde est. Ex principio litterarum.* Cum sis præditus scientia litterarum.

2 Nota primò, juris ignorantiam non esse probabilem in iuris perito: turpe enim est nobili, & Patrio ignorare iura, in quibus versatur, l. 2. §. Servius ff. de orig. iur. sed turpis est Episcopo canones ignorare, cap. *Vel non est compof. de temp. ordi. cap. Omnes. 38. dist. de quo scripti in c. 1. supra de Summ. Trinit. & fil. Cathol.*

3 Secundo nota non valere religionis ingressum alterius conjugis, nisi aut uterque religionem ingrediatur, aut remanens in saeculo castitatem voveat, & careat periculo incontinentie. Quod tamen fallit secundum Innoc. & alios hic, si propter adulterium lata sit sententia divortij; quia tunc conjux innocens potest religionem solemniter profiteri, licet remanens in saeculo sit juvenis, & continentiam non promiserit. Et in his terminis loquitur tex. in c. *Agathosa. 27. q. 2.* Ratio est quia eo casu conjux propter adulterium est solutus a servitute alterius, c. *Constitutus. 8. de. Gaudemus. infra eod.* Ceterum quavis sic professus sit mortuus mundo, c. *Placuit. 16. q. 1.* non tamen durante vita naturali illius poterit alter conjux matrimonium contrahere, ut probatur in c. *Licite. 32. q. 7.* juncto tex. *hic.* Nam in d. c. *Licite* patet matrimonium per adulterium conjugis non selvi quoad vinculum, quod hoc sic definitum est a Tridentino Synodo in can. *7. sess. 24. de Sacram. Matrim.* Et ex hoc textu colligitur matrimonium non solvi per ingressum religionis, ex quo fuit consummatum, & lic nota casum secundum Goffr. in quo mors civilis non æquiparatur naturali, contra id, quod habetur in l. *Deo nobis. C. de epsi. & Cler. de quo tamen dic, ut per Host. Jo. Andr. Butr. Anch. Card. & Abb. hic, per Dyn. in l. Ex eaparte. §. In insulam, de verb. oblig. Jo. Andr. in c. *Susceptum. de rescr. lib. 6. Bart. Bald. & DD. in l. Gallus. §. Et quid sit tantum. ff. de liber. & posth.**

**Q**UÆRO in qua aetate uxor dicatur senex ad hoc ut cum simplici castitatis voto possit in saeculo remanere, & maritus aliquam ex Religionibus approbatis solemniter profiteri valeat.

Dubitationi causam præbuit quidam Lucius, qui cupiebat ingredi Religionem Fratrum Cappuccinorum, uxore que assentebatur, & in monasterio Monialium S. Francis quamdiu viveret morari, & perpetuam castitatem vovere parata erat; sed proficere ob ingravescentem aetatem aetate annorum quinquaginta, & infirmam valetudinem non intendebat. Quæritur est an effectus annuendm prædictis

dicis conjugibus supplicantibus, ut uxor simplici castitatis voto aditicia monasterium ingredi, & vir Religionem Cappuccinorum solemniter profiteri possit.

In hac quaestione supponendum est pro constanti ex Sacrorum Canonum præscripto duo esse necessaria ad hoc ut uxor post matrimonium consummatum cum simplici castitatis voto possit in saeculo permanere viro ad religionem transcat. Alterum ut sit senex, alterum ut non sit suspecta de incontinentia. Jura sunt clara hic in ver. *Verum si ita uxor senex est, in c. Significavit, ibi, si est talis aetatis, de qua suspicio haberi non possit, & in c. Ad Apostolicam, infra eodem, ubi Innocentius III. primò constituit regulam dicens: Cum vir, & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, & altera remanere; profectio non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem. Deinde subjicit limitationem: nisi reliquus forte sit ejus aetatis, ut sine suspicione incontinentie valeat in saeculo remanere. Atque ita hæc duo debere copulative concurrere sentit glof. in cap. *seq. in ver. Continentiam, Hostien. hic num. 4. & expressus Cardin. in 2. oppo. & Butr. in d. c. Uxoratus, num. 1.* Ac propterea si uxor esset quidem senex, sed tamen appareret suspecta de incontinentia, non esset et annuendum, ut remaneret in saeculo cum voto simplici castitatis, ut per Innoc. in d. cap. *Significavit, Card. ubi supra, & Sylvest. in ver. Divortium. q. 13. n. 16. verfi. Tertio, ex consensu alterius.* Quamvis enim ibi dicitur labes quæ nonnunquam in juventute contrahitur in senectute frequentius expietur, ut legitur in c. *Cum in iuventute, de presump. hoc tamen non est perpetuum, ut ibi notat glof. Frequentius inquit, non tamen semper. Nam difficile continentiam servat, qui illicito se concubitu macular non metuit, §. *Quod vero, §. 4. dist.***

Idemque observandum esset in casu converso si mulier careret incontinentie suspicione inspectis honestis ejus moribus, sed tamen non esset senex; quia canones initio citati non requirunt simpliciter, ut ab sit timor fornicationis, sed ponderant aetatem senilem; atque ita exigunt, ut cesset hujusmodi periculum ex causa senectutis, ut notant infra in c. *Proximo, Host. Jo. Andr. & Butr. in sui. Card. q. 4. & Abb. n. 4.* Esset enim valde periculosum, ut uxor juvenis viro assuetu utcumque honesta tandem moraretur in saeculo, cum juvenis sit semper exposita variis incontinentie casibus; ideoque Butr. infra in c. *Proximo in fin.* Non video, inquit, si mulier est juvenis, qualiter non sit suspecta, quia mulieres sunt volubiles ut rota. Quapropter ex hoc solo, quod conjux remanens in saeculo sit juvenis, quoad hunc effectum oritur incontinentie suspicio, idque satis probatur in c. *Episcopus, 77. dist.* ubi sic statuitur: si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam eorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo religione promissa posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur. Qui text. licet variè a Doctoribus exponatur; tamen secundum Praepol. in c. *Si se, 28. dist.* non cavillando litteram efficaciter probat uxorem juvenem debere ad religionem transire, si maritus ad Sacros ordines promoveri velit, ut latius dicam infra in c. *Proximo u.* Ergo idem dicendum si maritus velit profiteri

religionem. Quo argumento utuntur Host. Jo. Andr. & alii proxime citati. Cum igitur Sac. Canones requirant ut uxor remanens in saeculo sit ita senex, ut sit immunis a suspicione incontinentie, investigandum est in qua aetate ad hunc effectum judicanda sit senex. Ad cuius rei evidentiam abs re non erit aliqua præmittere de senectute in genere, ac de senectutis initio, & progressu.

Primum igitur, ut inquit Gard. Paleott. de bona senect. par. 1. col. 2. in fin. receptum est apud omnes novissimum illud temporis intervallum, quod exactis cæteris vitæ superioris gradibus usque ad mortem superest, senectutem vocari tamquam extremum humanæ vitæ actum, quem Cicero appellat occasum vitæ, & S. Thom. ultimam aetatem hominis in 4. dist. 43. art. 3. q. 2. Est autem senectus frigidum, & siccum corporis temperamentum aetatis multitudinis ratione proveniens, ut definiunt Medici quos suppresso nomine refert Gard. Paleott. loc. cit. Diffinitio est Galeni lib. 5. de sanit. tuen. c. 9. class. 2. cui non abfinitis est alia, quæ affertur in lib. diffinitionum Platoni ascripto, videlicet Senectus est infinitio animalis a tempore contingens. Nec non alia quæ habetur in lib. diffinitionum Medicarum, qui Galeno tribuitur in lib. 6. 1. 5. Senectus est aetas, in qua diminuitur animal. Quod ipsum innuit Aristoteles de invent. & senectute c. 1. 4. dum ait: Juventus est primæ reformationis augmentatio; senectus autem hujus decrementum. Et quæ in plantis vocatur ariditas, in animalibus vocatur senectus.

Verum quo tempore homines incidunt in hujusmodi temperamentum, Medici dixerunt non posse certa ratione prescribi, ob magnam varietatem, quam solent homines ex alijs, atque alijs causis contrahere. Sicut non præscribitur in c. 1. neque in cap. *Nisi cum pridem, §. Alia de renunc. & propterea initium senectutis aliter docuerunt constitutum esse quoad univèrsam hominis speciem, & aliter quoad singulos homines, de quorum senectute agitur.*

Et quidem in univèrsam quoad humanam speciem, ut refert Menoch. de arbit. iud. lib. 2. cent. 1. cas. 59. n. 1. Hippocrates arbitratus est senem dici à quadragesimo aetatis aetate usque ad quinquagesimum sextum. Servius Tullius senes judicavit post exactum annum quadragesimum sextum. Varro post quadragesimum quintum, Galen. lib. 5. de sanit. tuen. c. ult. class. 2. relatus à Bracheo Furtonensi in l. *Pneris. n. 9. de verb. signif. aetatem senilem tripartito dividit. Primam appellat viridem, alias crudam senectutem, & hæc à Menochio potius quam à Galeno concluditur ab anno quinquagesimo in sexagesimum. Secunda quam proprie senectutis nomen habere voluit, incipit in sexagesimo, & definit in septuagesimum. Tertia decrepita quæ conficit quod reliquum est ætatis licet Paleott. loc. cit. generaliter asserat Medicos à quinquagesimo anno usque ad sexagesimum senectutem protraxisse.*

Ilidorus lib. 6. Etymol. & post eum Archid. in c. *Vnico, num. 2. de Cler. egrot. lib. 6. & Jo. Andr. in proximo etuslem compilationis num. 22.* sic distinguunt septem aetates hominum. Prima est infantia, quæ durat usque ad septimum annum, ut l. 1. §. 1. ff. de administr. Tutor. de qua in l. *Si infans, C. de vir. delib.* Secunda exinde usque ad annum decimum quartum est Pueritia, sic dicta, quia pura est

est, necdum ad gignendum apta, de qua habetur in c. Pueris. q. 1. in c. In veteri. 77. dist. & in c. Indecorum. de at. & qual. Tertia etas est adolescentia, seu pubertas, de qua in c. Puberes. de despons. impub. & huc protenditur usque ad vigesimum quintum aum l. 1. in fin. ff. de minor. Quarta est juvenus, de qua in cap. Juvenis, in princ. de sponsal. & hanc secundum eos concluditur in quinquagesimo anno. Quinta est virilitas, id est gravitas, quae est declinatio a juventute in senectutem, quae initium sumit ab aho quinquagesimo, & definit in quinquagesimo nono, cujus fit mentio in cap. Petrus. 7. q. 1. Sexta est senectus, quae ullo determinato aorum numero finitur. Senium vero est ultima pars senectutis, & hanc appellat etatem quiescentium Jo. Andr. ubi supra, de qua in l. Senium, C. qui testam. fas. poss.

Sed glos. in praem. Sexti, in ver. Perseus, sex tantum etates assignans post infantiam, pueritiam, & adolescentiam, Quarta, inquit, est juvenus, vel virilis etas ab aho vigesimo quinto usque ad quinquagesimum. Quinta senectus usque ad septuagesimum. Sexta abinde, & dicitur senium aliarum etatem terminus.

Accurrius in l. Hereditatum in glos. a prima etate, ff. de leg. Falcid. quatuor tantum etates constituit, videlicet impuberetatem usque ad duodecimum, vel decimum quartum aum, l. Penult. C. de impub. & alijs sublit. adolescentiam usque ad vigesimum quintum, l. Non aliter, in fin. de legat. 2. juvenutem exinde usque ad quadragesimum, d. l. Non aliter in fin. abinde senectutem, vel senium, ut l. Maiores, ff. de iur. immunit. Receptor tamen videtur sententia glosae praellegatae in praem. Sixti, quam ibi dicunt esse tenendam Jo. Andr. num. 22. & Gemin. in glos. in ver. Perseus, & sequuntur Grammat. decis. 34. in princ. Jo. de Anan. in rubr. de delict. pueror. col. 1. Assilct. in Commentarijs ad Constitutiones Neapolitanas lib. 2. rubr. 17. in fin. Abb. in cap. Quoniam frequenter, num. 18. vers. Illud etiam considerandum, ut sit non contenti ubi per illum glos. tenet senectutem incipere a quinquagesimo anno, eo quod juvenus incipiat a vigesimo quinto, & duret usque ad quinquagesimum.

15 Verum etsi leges praescripserint quot anni requirantur ad infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, & Juventutem, ut in iuribus praellegatis; tamen generaliter quoad omnes nullibi reperitur determinatum quot ahi exigantur ad virilitatem, & multo minus ad senectutem, ut patet in ead. l. Non aliter, §. in. de legat. 2. Rationem diversitatis assignat eleganter Cajet. in 2. 2. q. 147. art. 4. vers. Ad primum. (Senectus, inquit, non est evidenter omnibus una, sicut etas augmenti; quoniam etas augmenti determinatur ab ortu, qui certus est, etas vero senectutis a naturali occasu, qui incertus est. Sunt enim quidam sexagenarii ita fortes, ut alii quadragenarii, & unus altero habet multo plures circulationes carnes propter quod contingit forte aliquem esse senem in trigesimo, aliquem in quadagesimo, vel aliquo hujusmodi aho.) Itaque pro materia diversitate jura aliter, atque aliter etatem senilem praescripserunt, ut not glos. in d. l. Non aliter, in ver. Seniores, & latius patebit infra num. 26.

17 Sed quoad singulares homines, de quorum senectute agitur, solent nonnulli aestimare senectutem ab exteriori corporis specie, videlicet a rugis, vultu, seu cutis ariditate, atque alijs hujusmodi signis, & praecipue a canitie Tiraquel, l. 6. Cornub. n. 7. Quorum opinioni suffragatur text. in c. Magnae, de vot. ibi etatis in te senectutis defectus, atque canities vix labores, & dolores suos tolerare possunt. Item text. in Auth. de quest. §. Si vero vice occasione, ibi: Corporum eorum statum qualis quis est inspicere, & §. Si vero aliqui, ibi: laesos autem, aut laesos corpore, aut canite graves hos sine molestia esse jubemus. Per quem textum Angelus ibi circa fin. & Bart. in l. 1. similiter per text. ibi n. 6. C. de mendicant. v. alid. lib. 11. dicunt senectutem probari per aspectum corporis ad instar minoria etatis juxta l. Minor viginti quinque annorum ex aspectu, ff. de minor. & sequuntur Grammat. decis. 48. num. 19. & Menoch. de arbitrar. iud. lib. 2. sent. 2. cas. 117. num. 2. vers. Id quod non modo.

18 Verum haec conjectura nec perpetua, nec prorsus certa est; cum multi etate adhuc florentes festinam, ac praematuram gerant canitiam, qui praecani dicuntur, qualem se fuisse Horat. Poeta scribit, & de quibus Boet. de consolat. in princ.

Intermessivi fundantur vertice cani.

19 Unde refert Plinius in Albania gigni quosdam a pueritia statim canos, & Paleot. in tract. de bon. senect. par. 1. col. 2. in fin. narrat sibi ad Urbem redeunti apud Faliscum occurrere puerum septem annorum Trajanum nomine vultu succi pleno, rubicundo, & hilari, sed capite admodum cano omnibus qui illic aderant admirantibus. Sed & Aristot. scribit lib. 4. de hist. Animal. 6. 11. nonnullis pilos dum aegrotant incanuisse, quibus in bonam valetudinem restitutus nigri enati fuerunt canis defluxus. Ratio autem cur canities non sit constans senectutis indicium ea esse potest, quia ut illic docet Aristot. canities non provenit ex ariditate, sicut senectus; sed cutis vitio, quod vitiliginem appellamus, pili omnes producantur canii.

Et converso sunt alii qui matura jam, & occidua etate amencan ad huc faciem retinent, & laevem cutem, capillumque nigrum, seu flavum, qualem Palladius scribit fuisse Abbatem Or in monte Nitrix qui cum esset nonaginta annorum erat vultu nitido, & alaci; & ut alia exempla omittamus mirabile est quod post Hieron. ad Paul. Concord. de homine centesimum aum agente; ait enim: (Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum, cani cum rubore dispreant, vires cum etate diffentunt, non memoris tenacitatem, ut in perlitque cernimus, antiquior senecta dissolvit, non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit, non contrada rugis faciem araturos, non denique tremulae manus per curvos ceram trames stylum ducit.)

Quamobrem cum haec conjectura quae in senectute dijudicanda sumitur ex aspectu corporis sit admodum fallax ad formandum iudicium de senectutis initio videtur sic distinguendum cum 21 Menochio. Nam ut verfamur in casibus in quibus certa etas reperitur a jure praescripserunt; & tunc manifestum est singulos esse habendos pro senibus in ea etate, quam leges praescripserunt, ut in l. 1. & l. fin. C. qui etat. se excus. lib. 10. & in l. Maiores, ff. de iur. immunit. cum simil. Aut verfamur in

in casibus, in quibus nulla certa etas a jure praefinita est; & tunc communiter tenetur opinio Innocentii in c. Quoniam frequenter, num. 3. at lit. non contenti, videlicet an quis dicatur senex, necne, relinquendum esse arbitrio iudicis, considerata cuiusque complexionem. Nam quadaque aliquis est senior in quinquagesimo anno, quam alius in sexagesimo. Ita Innoc. quem ibi sequuntur Host. Jo. Andr. Abb. Socin. Felin. & alii omnes. Barbat. conf. 22. col. 3. lib. 3. Florian. in l. Aquilia si detetur, ff. ad l. Aquil.

22 Ceterum cum adhuc incertum sit qua ratione ejusmodi arbitrium sit regulandum, ante omnia observandum est Doctores convenire in duabus propositionibus. Prima est neminem posse appellari senem ad quemcumque effectum ante quinquagesimum aum quia nullibi id reperitur jure cautum. Et quavis ante illud tempus aliquis possit incidere in temperantem frigidum, & sicum ex aliquo accidentis non tamen propterea senem dicendus erit, quia ad senectutem inducendam requiritur ut temperamentum illud proveniat ratione etatis, & non aliunde, ut dictum est supra num. 11.

Nec refert quod glos. in l. Hereditatum, in ver. a prima etate, ff. ad l. Falcid. dicit juvenutem protendi a vigesimo quinto usque ad quadragesimum annum, & abinde senectutem, vel senium per text. in l. Non aliter, in fin. de legat. Tertio quia Accurrius ibi quoad hoc videtur locutus ex capite suo; nam illa lex hoc non dicit. Tantum enim quaerit a qua etate juvenes legari, & in quam intelligi debeant; & respondet existimari posse eum juvenem qui adolescentis excessisset etatem quoad inciperet inter seniores numerari. Ceterum in qua etate quis numeretur inter seniores, lex non aperit. Unde ille text. communiter sic summat. Quilibet juvenis dicitur qui inter seniores non numeratur.

24 Secunda conclusio est. Post aum septuagesimum quilibet dicitur senex, Abb. in c. Quoniam frequenter, n. 18. ut lit. non contenti, ubi ait in septuagenarijs, & supra non esse locum arbitrio iudicis an dicantur senes, necne, cum in tali etate valde proprie dicantur senes, & a septuagesimo aho incipiat senium, quod est aliarum etatum terminus, & quantumcumque quis sit bene complexionatus in ea etate, timere debet mortem, & sequitur, Albert. in diction. in ver. Senex. Unde merito Cardanus contradicentium Medicorum lib. 2. contra 10. tract. f. dicebat supra aum septuagesimum in omnibus convenire, ut etas pro deplorata habeatur. Itaque iudicis arbitrium regulariter concluditur a quinquagesimo aho usque in septuagesimum.

25 Nec refragatur quod senes octagenarii esse debeant quoad hoc ut non teneantur personaliter comparere, Rota decis. 9. de iudic. alic. 222. incip. Senes videlicet octagenarii, in nona. Si quidem ad ejusmodi exultationem sola senectus non sufficit, sed copulative requiritur, ut quis sit senex, & valetudinaris; alioquin senex cuiuscumque sit etatis si alius sit robustus, non excusatur ve ibi per Rotam.

26 Deinde in arbitrio regulando a quinquagesimo usque ad septuagesimum observanda est diligenter materia, de qua agitur non enim aequaliter omnes infra hoc spatium existimandi sunt fe-

nes: nam etates hominum secundum subiectam materiae vacio modo limitantur, & terminantur, ut tradit glos. praelleg. in d. l. Hereditatum, & ibi remissive Bart. ff. ad l. Falcid. & in l. 1. s. pueritiam, ff. de postul. Cya. & Alber. in l. 1. s. infanti, C. de iur. delib. Felin. in cap. Cum vigesimo, col. fin. de off. deleg. Paris. conf. 19. num. 25. vol. 2. Et de senectate tradunt in specie glos. & Jo. de Platea in l. 2. C. qui etate lib. 10. Paris. loco cit. & dictum est supra num. 16.

27 In casu autem de quo agitur, ut ad propositam quaestionem propius accedamus, iura non determinant praecise in qua etate uxor censenda sit senex ad effectum ut careat suspicione incontinentiae, & remanere possit in laeculo cum voto simplicis castitatis, marito ad religionem migrante, nec quemquam reperi ex Classicis Canonistis id explicitè asserentem, tantum enim generaliter affirmant uxorem debere esse senem, & non suspectam.

28 Inter modernos vero Theologos duz sunt sententiae.

Prima est Soti in 4. dist. 27. qu. 1. art. 4. col. 12. §. Praeterea, existimantibus ad hanc effectum mulierem dici senem quando est sexagenaria, & cum secutus est Corduba in summ. qu. 178. vers. Eupero si el matrimonio. Et quidem alij ex recentioribus relati a Sanchez de matrim. lib. 7. dist. 32. n. 15.

29 Quorum sententiae suffragatur primò quod ante sexagesimum aum quis dicitur juvenis, quoad effectum ut cum eo possit super incestu dispensari propter periculum incontinentiae, ut cenlet Corduba lib. 1. s. Quaeestio 9. q. 12. art. 1. col. 5. §. Secundum dictum.

30 Deinde pro eadem sententia facit text. in cap. Juvenulus 20. qu. 1. ubi Gregor. ait: (Juvenulus fieri Abbatissas vehementissime prohibemus. Nulla igitur fraternitas tua nisi sexagenaria virgine, cujus vita hoc, atque mores exegerint, velari permittat.) Quo textu patet virgines repurtari juvenulas ad illum effectum ante sexagesimum aum, & Turrectem. ibi in princ. In hac etate extinctus est fomes libidinis.

31 Tertio ad idem facit text. in cap. Quomodo, 31. q. 1. ubi refertur illud Apostoli ad Timoth. 5. Vidua eligatur non minor sexaginta annorum. Praefinito enim hujus etatis ibi non fundatur in prudentia, seu maturitate concilij, quia vidua cuiuscunque sit etatis non potest eligi ut praesit monasterio, seu ut pascatur ab Ecclesia, ut declarat ibi glos. in verb. Eligatur, cum qua transeunt Laur. & Archid. Videtur ergo requiri, ut sic sexagenaria, quia Vidua marito affueta ante illam etatem non videtur ita esse a periculo incontinentiae immunis, ut possit cum Clericis convivere.

32 Demum adduci potest pro hac sententia quod sexagenarii reputantur senes quoad hoc ut excusentur a jejunio, secundum Cajet. in 2. 2. q. 147. art. 4. §. Ad primum & Greg. de Valent. in 2. 2. dist. 9. q. 2. punct. 5. col. 2. Et hanc esse communem opinionem affirmat Sanchez de matrim. lib. 7. dist. 12. nu. 15. & Lelivus lib. 4. de iust. & iur. c. 20. de iem. dicens in hoc omnes convenire ut sexagenarii ordinare excusentur, hae enim etate est media senectus juxta medicos, in qua natura facile inedia, & repletione graviter laeditur, & praecipitatur. Idque indistinctè nulla habita ratione an fiat vegetes, & robusti necne, secundum Sanchez qui





ente frequenti cibo bono, & modico, quoniam senectus morbus est incurabilis. ) Hæc Cajetanus, quem referunt, & sequuntur Gregorius de Valentia in 2. diff. 9. q. 2. punct. 5. col. 2. & Impotentia, Lessius lib. 4. de inst. & iur. c. 2. de re iur. dicit. 6. num. 41. & alii moderni. Sed & Navarrus in Manual. cap. 21. num. 16. quavis affirmet senes sexagenarios eximi à lege jejunii secundum communem, subdit tamen sanctum Thomam de hoc nihil dixisse, & merito, quia, ut ait Cajetan. in Summa in ver. Ieiunium, cap. 3. alii alii citius fiunt ad id impotentes, & ideo arbitrio prudentis, aut Superioris id relinquendum est, arg. l. 1. ff. de iur. delib. cap. De causis de off. deleg. Ita Navarrus adiciens septuagesimum annum agentem perinde posse jejunare, ac cum ageret sexagesimum, imò & quinquagesimum.

Quo loco omittendum non est quod ait Azor, ubi supra, videlicet Navarrus, dum testatur ex communi sententia sexagenarios esse à jejuniis exemptos, fortassis voluisse dicere septuagenarios, quia communis opinio septuagenarios, non sexagenarios excipit, & idem putat dicendum esse de auctoritate Cajetani, quia dum dicit eos qui sunt sexaginta annorum plerumque senes esse, & id probat quia scriptum est. Dies annorum nostrorum septuaginta anni; utique videtur, sicut & Navarrus, septuagenarios potius, quam sexagenarios à jejuniis eximere. Addo quod cum Cajetanus loquatur de senibus, quorum natura est adeo debilis, ut non possint multum simul cibum digerere, & ideo egent frequenti alimento bono, & modico; videtur respexisse ad Aphorism. 14. Hippocratis quod idem dicit. At locus hic Hippocratis non habet locum nisi in decreptis, & constitutis in ultimo senio, ut dicitur infra num. 91

Accedit quod generaliter Basilus de jejuniis. 2. Nemo, inquit, jejunantium numero se subducatur, in quo & generationes cum ætatibus, sexus, ætas, & ordo includuntur. Sed & Turrecrem. in c. Ieiunia, num. 10. de consecr. dist. 5. Quavis recenseat octo genera personarum, quæ ab observatione jejunii eximuntur; tamen inter hos non meminit senum sentiens propterea cum D. Thoma, & Innocentio senes non excusari, nisi quatenus sunt infirmi, & debiles, juxta text. in cap. Quatuoragesima, eadem dist. ibi: Nisi quem infirmitas impediit, & in cap. Ieiunia de consecr. dist. 3.

Quamobrem cum articulus exemptionis à jejuniis in sexagenariis nulla certa lege sit distinctus, & inter Doctores admodum controversus, ex hoc principio incerto, ac dubio non potest de iudici, conclusio certa ad decisionem questionis nostræ.

Sed quidquid sit in jejuniis, certè in casu præsentis, in quo non imbecillitas virium, sed impotentia cocendi spectanda est, ut hic in textu manifestum videtur non requiri in mulieribus animum sexagenarium cum multo ante illis contingat per ætatem sterilitatis, ut ex dictis constat. Præterea non valere illationem, Exemptus est quis à jejuniis: ergo & à periculo incontinentiæ, inde apparet evidenter, quod ætas pubertatis absque dubio exposita est hujusmodi periculo, ut omnes notant infra in c. prox. Et tamen puberes quamdiu sunt in statu augmenti, quod ut in pluribus est usque ad finem tertii septenni, id est anni vigesimi primi, non teneantur ad ecclesiasticam jejunia, ut docet Divus Thomas in 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2. quem ibi

Cajetan. & ceteri sequuntur. Petr. de Paludo in 4. dist. 15. Archid. in cap. Pronunciandum num. 6. de consecr. dist. 3. Abb. in rubr. de observat. ieiun. num. 7. Turrecrem. in d. cap. Ieiunia, num. 10. de consecr. dist. 5. Navarrus in Manual. c. 21. num. 16. Et hæc est veritas, & communis opinio, ut inquit Sylvest. in ver. Ieiunium, num. 18. vers. Sexto queritur.

82 Sed nec secunda opinio Sanchez quod mulieres careant incontinentia periculo, quando sunt quinquagenariæ, videtur ita generaliter admittebenda: nam cum senectus nec in masculis, nec in feminis iure nostro consideratur ante annum quinquagesimum, ut per D.D. in cap. Ieiun. ut lit. non concess. & patet ex dictis num. 23. Si sola ætas quinquaginta annorum, quæ ut minimum requiritur ad senectutis initium, excluderet omnem suspicionem incontinentiæ, frustra textus hic præceptum senectutem exigeret etiam sterilitatem, quia in expressione senectutis necessarîo excluditur ætas quinquaginta annorum.

83 Præterea expendenda est illa dicitio, ita non enim canon requirit tantummodo, ut uxor sit senex, sed addit, ita senex, &c. aperte innuens per hoc non sufficere initium senectutis, quod contingit in quinquagesimo anno, sed amplius desiderari aliquem senectutis progressum, ut absit incontinentia periculum. Facit text. in cap. Fratrum, dist. 34. dist. ibi: Et ætas illius futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, ubi Præposit. in 5. notab. dicit, Ratione antiquæ ætatis præsumi quem continentiam servaverit, licet tempore juventutis castitatem non servaverit.

84 Ad hæc quamvis in quinquagesimo anno mulieres præsumantur steriles, quatuorò in ea ætate concipiunt, tamen aliquando contrarium accidit, ut ostensum est supra num. 50. Finge ergo uxorem peperisse in quinquagesimo anno, ut in matre Federici Imperatoris, aut concepisse post exactum annum quinquagesimum, ut in exemplo relato à Bald. in d. cons. 437. lib. 5. & in aliis, quæ Perullius acciderunt, teste Angelo in d. l. Si maior, c. de leg. hared. certè his casibus non esset concedenda licentia uxori morandi in sæculo in quinquagesimo primo, aut quinquagesimo secundo, quia ex prole paulo ante suscepta appareret eam adhuc posse concipere, ac proinde in ipsa extinctum non esse fomitem concupiscentiæ.

85 Demum finge uxorem aliquam esse quidem quinquagenariam, & sterilem, sed tamen inhonestam vitam ducere, quod non raro contingit: profectò neque huic danda esset licentia remanendi in sæculo, quia senectus, & sterilitas non sufficiens si aliunde appareat de intemperantia uxoris, ut ostensum est supra num. 8. & seq. Facit quod notat Innoc. in cap. 1. sub num. 1. in ver. servare, supra eod. ubi ait uxorem, de cuius licentia maritus professionem emisit, si sit suspecta de incontinentia, & castitatem promiserit, cogenda esse monasterium intrare, non quidem ut proficteatur, sed ut compescatur à vagatione, & custodiatur ne luxuriari possit. Quinimo eam esse cogendam ad solemnem professionem, pluribus probat ibi Hostien. cum quo videntur alii transire, ut ibi plenius scripsi.

Et per hoc patet responso ad primū, & secundū argumentū contrarium quod mulieres quinquagenariæ censentur inhabiles à concipiendum.

Non obstat tertium, quod liberta quinquagenaria non teneatur ad operas; quia in ea exemptione non consideratur periculum fornicationis, & ideo non est simile.

88 Et eodem modo responderetur ad quartum, quod testes dicantur senes in quinquagesimo anno quoad examen ad æternam rei memoriam; quia nec eo casu consideratur hujusmodi periculum, sed timor mortis dumtaxat, ut ibi per Innoc. Præterquam quod Abb. in cod. c. Quoniam frequenter num. 28. dicit hunc verisimilem timorem vario modo contingere secundum diversitatem complexionum; & ideo relinqui iudicis arbitrio, qui illum iudicabit senem usque ad septuagesimum annum, ubi hunc verisimilem timorem concipiet. Adde quod in dominio Mediolanensi senex quoad prædictum effectum dicitur qui annum sexagesimum agit, ex Constitutione in tit. de prob. cap. 1. ut refert Menoch. de arbit. iudic. lib. 2. cent. 1. cap. 59. in fin.

89 Non obstat ultimum, quod mulieres quinquagenariæ etiam vegetes, & robustæ non teneantur ad jejunia ecclesiæ.

Primo enim responderetur non valere illationem ab exemptione à jejuniis ad liberationem à periculo incontinentiæ, ut dixi supra num. 81.

Deinde responderetur contrarium tenere unanimiter omnes Doctores: solus enim Thomas Sanchez primus hanc opinionem exemptionis quinquagenariæ à jejuniis in medium attulit, ut ipsemet testatur, qui propterea subdit illam esse quidam speculative probabiliter, sed non esse tutam in praxi. Sed certè si esset probabilis speculative, esset etiam tuta in practica; quia intellectus practicus nihil est aliud quam extensio intellectus speculativi, ut docet D. Thom. in 1. 2. q. 79. art. 11. & dixi in tract. de opin. probabilis, quem potui in 21. cap. Ne similitudo, num. 99. & seqq. supra de Constit. veritas tamen est huiusmodi licentiam nec speculative quidem esse probabilem, fateamur enim esse verum quod ait Hippocrates Aphor. 14. Senes diu jejunium ferre non possunt, eo quod si unica vice totum alimentum ad vitam necessarium assumerent, eorum calor, qui in extremo debilitatus est, ac prexiguis, suffocaretur; & ideo egent cibo crebro, & modico.

Verum hæc Hippocratis auctoritas nullatenus applicari potest mulieribus quinquagenariis, præsertim validis, & robustis, de quibus loquitur Sanchez in sua opinione, sed procedit in decreptis, & senio confectis tantum, quorum calor est pene extinctus. Et de his Galen. ibi in Commentis, dicit: Tale patitur senes, quales lucernis penè extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei susceptionem, multam autem, & subitam simul nequeunt sustinere. Et de his Aristotel. in lib. de invent. & senectute. cap. 14. (Propterea, inquit, quod paucum est calidum, velut plurimum evaporatum in multitudine vitæ, si qua utique intensio fiat particula, cito extinguitur, quemadmodum pauca, & momentanea in ipso flamma existente propter parvum motum extinguuntur: Quapropter & sine dolore est, quæ in senibus mors nulla enim violenta ipsi passione contingente moriuntur, sed insensibilis animæ absolutio fit omnino.) At verò in senibus non decreptis locum habet præcedens Aphorismus Hippocratis 13. videlicet, Senes facillime jejunium ferunt, ut ibi in Comment.

declarant Galen. & Philoth. asserentes posteriori hanc Hippocratis licentiam non promissive de quibusvis senibus esse intelligendam, sed de illis tantum, qui extremam senectutem non attingunt. Idemque sentit Hollerius, qui Hippocratis verbum, Gerontes vertit senes non decreptos.

94 Et in terminis excusationis à jejuniis Ecclesiæ ita declarat Richard. de Media-Villa in 4. dist. 15. art. 3. q. 4. dicens ad jejunium non obligari nimum senes, id est decreptos, quia propter debilitatem caloris indigent crebro refici, cuiusmodi sunt regulariter qui septuagesimum annum compleverunt secundum Medicos. Et cum refert, & sequitur Sylvest. in ver. Ieiunium, num. 18. vers. Richardus tamen, Idemque tradunt S. Antonin. Rosell. & Tabiena relati supra n. 79. Et ex modernis Azor. ibidem citatus, qui de communi testatur, & Tolet. in summa lib. 6. cap. 4. num. 2.

95 Præterea non est admittenda ea doctrina quod ætas, quæ in viris est sexagenaria, in feminis sit quinquagenaria quoad jejunium, siquidem Doctores hanc differentiã non constituunt, nec probatur jure. Et contrarium colligitur ex Bulla Cruciatæ, quæ ab exceptione ecclesiasticorum, & quarumlibet personarum regularium ab indulto vesendi lactis cœnis, excludit personas sexagenarias nulla habita distinctione sexus. Nec valet responsio Sanchez, quod propterea in casu Bullæ à pari procedant marces, & femina; quia Pontificis in eo casu certam ætatem tam viris, quàm mulieribus præfixerunt. Extenim ætatem illam summi Pontifices irrationabiliter omnibus præfixissent si naturaliter inter masculos, & feminas in materia jejunii constitutenda esset differentia decem annorum: atqui absurdum est Pontifices maximos id contra naturalem rationem sanxisse.

96 Nec refragatur quod mulieres sint viris frigidiores; quoniam hinc potius inferitur, ut sint magis obtrictæ ad jejunandum: nam ex caloribus debilitate major pituita & crudorum humorum copia generatur; & propterea jejunium facilius ferunt; modico enim cibo diutius sustentantur, minusque sentiunt detrimenti ex media, quàm viri, quibus calor edax alimento deticiente humidum radicale depascit. Et hæc est ratio, ob quam multo plures femina; quàm viri vitæ sunt, quæ naturaliter longum servaverunt jejunium. Nam ex

97 Alberto Magno plures sex, septem, & pluribus mensibus vixerunt sine ullo externo alimento. Imò relatum est à Dyno Medico, ut inquit Mercurialis, lib. 3. practice. c. 7. mulierem quamdam suo tempore fuisse, quæ septem annis sine ullo appetitu, & cibis vixerat. Et quod est admirabilis, Conciliator dist. 112. prope finem, Certificatum inquit mihi per fidelem socium Joannem de Corceo Normandiæ cum aliis quam multis dicerent illic exare mulierem, quæ amodo pro spatium triginta-sex annorum nihil assumpsit.

98 Accedit quod cum in jejuniis jam ubique receptus sit usus refectiois loco cenæ, certè alimèto licet modico in refectioe assumpto senes, & præsertim mulieres quinquagenariæ facillime jejunium protrahere in sequentem diem abiq; ullo corporali detrimento, quin potius cum utilitate. Hinc enim si qua superfluitas cum ulata fuerit, per cenæ omissionem vel à natura ipsa facillime accedente potest, ut restitueretur & in optimum alimentum convertatur, prout in indigentibus natura ipsa facit.

re consuevit, vel saltem evincatur, & per insensibilem transpirationem, vel aliâ ex corpore expellatur, ut dicunt Medici.

Nec obstat si dicatur: Si prædicta ratio attendenda esset, septuagenarii quoque tenerentur ad jejania Ecclesie, cû ipsi magis abundant flegmatibus, & humoribus crudis, & tamen communis sententia eos excusat. Etenim ut ex dictis constat in decretis, & constitutis in extremo senio diversa est ratio cum eorum calor ferè absumptus indigeat crebra alimentum suffocatione.

99 Concludendo exillimo licentiam morandi in seculo cum voto simplici continentie, viro religionem proficiente nullo modo esse concedendam uxori ante quinquagesimum aum, quia in ea ætate deficit utraque qualitas requisita in hac decretali. Neque enim senex dici potest, cum iure nostro ante quinquagesimum aum non incipiat senectus, ut patet ex dictis *num. 23.* & consequenter nec potest dici sterilis ea fertilitate quæ provenit ex senectute.

Sed nec post aum quinquagesimum voto eujusmodi licentiam concedendam esse indistinctam, ut habet secunda opinio; in spectandum esse roborem, & temperamentum corporis; item honestatem, & temperantiam vitæ; præterea qualitatem regionis, alicubi enim mulieres non raro concipiunt etiam post quinquagesimum aum, ut de Peruisinis testatur Bald. & Angel. præleg. *num. 73.* Præcipua autem ratio habenda erit quantum temporis interefferit ab ultimo partu non enim æque judicanda esset libera a fomite libidinis illa major quinquagenaria, quæ peperit in quinquagesimo aum, atque illa quæ delit parere in quadragesimo, secundum ea quæ dicta sunt supra n. 85. Quæ omnia cum non omnibus mulieribus æqualiter contingant, arbitrio, & prudentia Episcopi singulis circumstantiis diligenter perspectis, judicandum erit an prædicta licentia sit concedenda, vel deneganda, ut tenet Anton. de Butr. in cap. i. *num. 5. supra eod.*

## DE CONVERSIONE Conjugatorum.

### Cap. Conjugatus.

#### S U M M A R I U M.

- 1 Conjugatus non est ordinandus ad sacros ordines, nisi uxor continentiam promittat.
- 2 Quod si ordinari se fecerit, an uxor teneatur Religionem profiteri, an saltem cogi possit ad permanendum in clausura monasterij Monialium in habitu seculari, ut vitentur scandala, & n. seq. usque in fin.
- 3 Professio tacita nunquam inducitur per declarationem habitus Novitiorum distincti ab habitu professorum distinctioe patenti.
- 4 Novitias ante habitum Professorum susceptum potest libere redire ad seculum, nisi appareat eam voluisse vitam mutare, quod in dubio non presumitur.
- 5 Novitius per delationem annalem habitus indistincti censetur tacite professus presumptione iuri, & de iure, nisi aliter fuerit protestatus.
- 6 Professio tacita de iure communi non inducitur quo-

ad impuberes per annalem habitus delationem sibi habitus sit distinctus distinctione latenti, secus quoad puberes.

- 7 Idem si habitus sit indistinctissimus.
- 8 Uxor censetur se ad castitatem obligare, si vir de eius licentia sacros Ordines suscipiat.
- 9 Et quid si uxor ignoraverit quoad hoc iuri dispositionem.
- 10 Uxor, de cuius licentia a vir ad sacros Ordines ascendit, si sit juvenis, sive sit suspecta de incontinentia, sive non, tenetur Religionem solemniter profiteri, secus si sit senex, & non suspecta, quia sufficit votum castitatis in seculo.
- 11 Intellectus cap. Episcopus, 77. dist.
- 12 Episcopi licentia an requiratur ad hoc, ut vir possit ad sacros Ordines promoveri. & uxor Religionem ingredi.
- 13 Conjugatus non potest ad sacros Ordines ascendere absque uxoris licentia, etiamsi matrimonium non fuerit consummatum; ac si ascendat, revocari potest ab uxore, & tenetur ei debitum reddere, sed exigere non potest, & num. seq.
- 14 Coniux inrita uxore ordinatus, potest ab ea revocari etiam post sententiam divorij.
- 15 Uxor innocens, an post thoris separationem habeat ius petendi ut sibi vir reconcilietur.
- 16 Uxor, que sciens viri ordinationem tacuit, & dissimulavit usque ad divorj sententiam, videtur ei licentiam dedisse, & iuri suo renunciaisse.
- 17 Coniux non potest ad sacros Ordines ascendere uxore id ignorante, & non consentiente, etiamsi præcesserit sententia divorj.
- 18 Uxor, cuius vir sacris Ordinibus est initiatus ipsa ignorante, induci debet, sed cogi non potest ad professionem emittendam, aut ad perseverandum in clausura.

**C**ONJUGATUS. Conjugatus non est ordinandus ad sacros Ordines, nisi uxor continentiam promittat. Hoc dicit. Ex facto quæsitum est. Si conjugatus ad sacros Ordines promoveri se fecerit, An uxor teneatur Religionem solemniter profiteri, aut saltem cogi possit ad perseverandum in clausura alicujus Monasterij Monialium in habitu seculari, ut vitentur scandala.

Catharina Cesia post divorjium cum Marchione Julio de Ruere ejus marito de licentia Gregorii XV ingressa est monasterium Sancti Egidij Urbis, ut ibi professionem emitteret, & habitum Novitiarum detulit per duos annos. Interim Marchio in Presbyterium ordinatus est. Mox Catharina exivit e monasterio, ut iter in Germaniam pararet; donavit enim triginta millia scutorum pro monasterio in illis partibus construendo, sed iusta a Sanctissimo in monasterium rediit. Intendit nunc iterum exire, ut creditur in Germaniam profectura. Princeps Sancti Angeli ejus frater petit ordinari, ut soror in clausura permaneat eujusdem, vel alterius monasterii.

2 Pro dubij solutione duo articuli videntur examinandi. Primus, An uxor sit cogenda ad clausuram tanquam professa. Secundus, an sit cogenda ad eam clausuram ab sacros Ordines a marito susceptos, & ad vitanda scandala.

3 Quoad primû perquirendum esset, An in dicto monasterio habitus Novitiarum sit distinctus ab habitu Professorû distinctioe patenti in colore, scilicet

## De Conversi. Conjug. c. Conjugatum.

scissura, vel forma, an non; si enim distinctus sit, & ipsa non assumerit habitum, qui professus dari consuevit, non est locus tacite professioni; Clem. Eos, de Regular. quanto cumque tempore steterit in Religione, Innoc. in c. Ex parte, in princ. vers. Hic non erant distincti habitus eodem titulo. Unde Abb. Antiq. in c. Consulti, num. 3. eod. dicit se vidisse literas Papales absolutionis concessas cuidam monacho, qui talem habitum detulerat fere per decem annos, ut referat per glos. in d. Clem. Eos, in ver. Deinceps.

4 Neque obstat text. in c. Statuimus, de regular. ubi Novitius ante habitum professorum susceptum dicitur posse redire ad seculum, nisi evidenter appareat, quod absolute voluerit vitam mutare, & in Religione perpetuo Domino deservire. Nam aut sumus infra aum probationis; & ille textus non habet locum post Concilium Tridentinum, quo professio etiam expressa ante annum expletum non tenet, c. 15. sess. 25. de Regular. Aut sumus post annum; & tunc procedit quidem ille textus, quia quod non mutatur, & c. ita ut quamvis habitus sit patenter distinctus, & Novitius retineat habitum Novitiorum, adhuc tamen censetur professus, si elapso anno evidenter appareat eum voluisse vitam mutare. Sed tamen hoc in dubio non presumitur, ut deciditur in d. c. Statuimus, & tradunt ibi glos. & DD. communiter, signa autem evidentiæ mutationis recensentur per Jo. Andr. ibi: Hoc casu de his signis non videtur constare, quod enim ingressa fuerit monasterium, quod habitum Novitiorum susceperit, quod petierit, & obtinuerit licentiã profecti, etiam in voto viro, quod de bonis proprijs disposuerit, solum indicant propositum futurum profecti, sed non demonstrant præsentem itatus mutationem, aliâ omnis Novitius elapso anno diceretur professus, quamvis habitum professorum non susceperet, quia unusquisque habitum Novitiorum suscipit animo profecti in Religionem, postquam eam probaverit; & tamen professio non inducitur habitu non mutato, nisi evidentiã signa, & c. ut in d. Clem. Eos, & in c. Statuimus.

5 Sin autem habitus in dicto Monasterio sit indistinctus, id est communis tam Novitij, quam Professus, tunc uxor per delationem hujusmodi habitus ultra aum & tacite professa presumptione juris, & de jure, quæ non admittit probationem in contrarium, text. est in c. 1. §. fin. ubi omnes notant, de Regular. lib. 6. & d. Clem. Eos, eod. tit. glos. in d. c. Ex parte in ver. Per annum, nisi fuerit protestata ante annum expletum, quia contra presumptionem juris, & de jure admittitur hoc casu probatio per protestationem præcedentem, ut sentiunt in d. c. 1. Jo. Monachus in ver. Presumitur, Prob. in Adult. Gemin. & Anchar. glos. in d. c. Ex parte, in ver. Per annum, & ibi communiter Canonistæ, & in d. Clem. Eos.

6 Sed & si habitus sit distinctus tantum distinctione latenti, ut benedictione, idem est ac si esset indistinctus quoad puberes. Nam cap. Statuimus, correctum est in hoc per Clem. Eos, ut ibi per 7 glos. in ver. Deinceps. Et Cardin. n. 2. & 3. Quod procedit etiam si habitus sit indistinctissimus, id est communis Professus, Novitij, & aliis ibi communem vitam ducentibus, quia quoad puberes inducitur tacita professio per delationem annalem, non secus ac si habitus indistinctus esset, licet se-

cus sit quoad impuberes, ut statuitur in d. c. 1. §. final. de Regular. lib. 6. Quoad tamen non appareat de hujusmodi tacita professione five ex delatione habitus, five ex bonis evidentijs, uxor ex hoc capite non videtur cogenda ad perpetuam clausuram, c. Ad nostram, c. Super eo, & c. in c. 1. cam, & c. Consulti, de Regular. c. Non solum, & c. fin. eod. tit. lib. 6.

8 Quoad secundum articulum [quæ est materia hujus Decretalis] tres casus videntur distinguendi: nam aut uxor expressè consentit, ut vir susciperet sacros Ordines, aut expressè contradixit, aut neutrum præstitit expressè, sed tacuit; & dissimulavit.

Primo casu ex hoc solo quod expressè consentiret, seu licentiam dederit viro sacros Ordines suscipiendi, censetur se voto Castitatis adstrinxisse, & caret usu conjugij, secundum Cardinalem hic in fin. per hunc text. Gemin. in c. Quia sunt, ad fin. & ibi etiam Turrecr. n. 428. dist. S. Antonin. in 3. par. tit. 1. cap. 8. ad fin. Sylvester in ver. Matrimonium, §. q. 12. vers. Tertium, & docet S. Tho. in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 2. in quo consentiunt omnes tam Theologi, quam Canonistæ. Et quamvis glos. in cap. Seriatim, in ver. Post mortem, 32. dist. limite hanc conclusionem ut procedat si uxor seiverit quoad hoc juris dispositionem, secus si ignoraverit, ejusque distinctioni adhaereat, Henr. Boet. in cap. Uxoratus, n. 12. infra eod. Angel. in ver. Matrimonium, 4. n. 9. & ex Recent. Sanchez de matrim. lib. 7. dist. 39. num. 12. Aliter tamen in hoc loquitur S. Bonav. in 4. dist. 37. in expol. l. 1. ubi ait. (Si uxor consentiat viro, ut Ordinem sacrum suscipiat, vel ut Religionem ingrediatur in conspectu personæ, per quam secundum formam Ecclesie possit fieri divorjium; ipsa obligatur ad continentiam perpetuam cum viro, qui est ead. caro cum ipsa; nec excusatur per juris ignorantiam.) Hæc S. Bonaventura, quem refert, & sequitur Præpositus in d. c. Seriatim, n. 5. dist. 32. Et sanè cum corpus viri, ut ibi ponderat Præpositus, per sacrorum Ordinum susceptionem Deo fuerit perpetuò dedicatum de uxoris licentia, ejusque votum solemnizatum juxta c. Vnico, de voto lib. 6. absurdum, & scandalosum esset, ut uxor vellet marito sacris initiato carnaliter commiseri hoc prætextu, quod ignoraverit se propterea ex juris dispositione voto continentie obstructam esse.

10 Supposita autem hujusmodi licentia, & consensu, uxor non solum censetur se obligasse ad castitatem servandam in seculo, verumetiam cum sit juvenis, cogi potest Religionem ingredi, & solemniter profiteri. Nam etiam magna sit altercatio inter Doctores An uxor, de cuius consensu vir ad sacros Ordines est promotus, teneatur solemnem professionem in monasterio emittere, ut hic in glos. 2. verior tamen, ac tutior sententia est, si mulier sit senex, & non suspecta de incontinentia sufficere votum simplex castitatis in seculo, si autem sit suspecta de incontinentia, aut si sit juvenis, ut hoc casu, sive sit suspecta, sive non, desiderari solemnem professionem; quod clarè constat ex Conc. Aghathensi c. 16. & 17. relato in c. Episcopus 177. dist. cujus hæc sunt verba: (Sanè si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo Religione promissa, posteaquam pariter conversi fuerint ordinentur.) Nec refert, quod

